



Antiquae Lectionis Tomus ...

Bipartitus, In Qvo L. Vetera Monumenta, Nunquam Visa, Pauculis Exceptis -
Quorum Catalogum versa pagina indicat

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1604

10. Gantheri Monachi Historia de capta à Latinis Constantinopoli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64177)

Guntheri

MONACHI

IN COENOBIO

PARISIENSIS

Historia

CONSTANTINOPOLITANA

SVB

BALDVINO

CIRCA

Annum Domini 1203.

*Nunc primum ex membranis manuscriptis
bibliotheca Academiae Ingolstadtensis edita.*

Ms (?) 50

Yy

Ad

VJ 577
IV
27



Ad Lectorem.

N m. s. codice alius titulus non erat, prater hunc: Incipit historia Constantinopolitana. Porro ex verbis illis, quae sub finem ab alio quopiam adiecta sunt, patet auctoris nomen. Qui cap. 24. non obscure innuit se monachum fuisse in canobio Parisiensi, Diocesis Basileensis, de quo cap. 2. plura. Item cap. 1. cum ait: Praesentis loci nostri felicitatem perpetuam, id ipsum diserte testatur. Fuit hoc Monasterium Cisterciensis ordinis, in diocesi Basileensi, ut patet ex cap. 2. & 4. Martinus ille Abbas Parisiensis, qui expugnationi Constantinopolitanae interfuit, & ex cuius ore Guntherus hanc historiam habet, vixit adhuc, cum haec Guntherus scripserat, ut colligi potest ex cap. 5. & 1. Quanta autem fide sit conscripta, vel e his verbis capitis primi liquet: Nostrae narrationis pagina nil prorsus fallum vel ambiguum continebit, sed veram ac certam rerum gestarum seriem persequetur, sicut idem vir, de quo plura dicturi sumus, humiliter satis ac verecunde, puram nobis ac simplicem enarravit historiam. Scribit hanc ipsam capta Constantinopolis tragediam Nicetas Acominatus Choniates Magnus Logotheta in annalibus Constantinopolitanis, quos Graecolatinos iterato editos anno 1593. hereticus quidam ineptis & hereticis scholis contaminavit. Ita nimirum illinatis sunt bonos libros male inquinatos dare. Cum autem hic frequentissima sit mentio Martini Abbatis, redit in memoriam ille Martinus Ordinis Praedicatorum, qui floruit sub Ludouico anno 1320. eiusque opuscula enumerat Tribemius lib. de scripte. Eccles. qui subdit haec verba: Sunt item alij, qui Cisterciensis ordinis colle-

collegio eum existiment aggregandum, quos aut ignorantia rerum obtuscauit, aut liuor. *Hac Tribem. Sed forte Tribemius hic deceptus fuit, cum legit apud alicum mentionem Martinii Abbatis Ordinis Cisterciensis. Certe hic noster Martinus, Cisterciensis fuit, cuius (vipote celeberrimi viri) si alij meminerunt, recte Cisterciensem vocauerunt. Licet erraret, quisquis hunc nostrum Martinum Cisterciensem, qui sub Philippo Imp. floruit, miscere vellet cum illo Martino Prædicatorum, qui sub Ludouico claruit. In cap. 24. Signatur annus Domini 1205. quo Argentinenfis Episcopus fuit Henricus. Fuit hic Henricus Comes à Veringen, inquit Bruschi in Episcopo 59. Argentinenfium, Sueuus; pius ac religiosus, pacis publicæ, & bonæ inter omnes homines tranquillitatis author & custos, promotor & conseruator studiosissimus. Præfuit sapienter & vtilissimè vno & viginti annis. Instaurauit iterum castrum Dagenstein, pæne collapsum, Dagoberti Galliarum regis olim sedè ac domicilium ab eodem etiam extructum, & quasi Dagoberti saxum, aut saxea moles dictum. Decessit anno incarnati verbi, 1223. vndecima Martij. Sepelitur honorificè & magnificè in sacello S. Andreæ, quod est in*

Basilica Cathedrali. *Hac*

Bruschius.

os (?) So

6

Ty 3

IN

INCIPIT HISTORIA
CONSTANTINO-
POLITANA.

Vniuersa diuinæ virtutis opera plurimum habent admirationis; eatenus, ut si qua mira non sunt, nec diuina debeant iudicari. Specialiter tamen ea mirari consueimus, quæ magna & ardua per humiles personas, illorum scilicet hominum, qui & apud seipos per humilitatem in imo sunt, & apud alios tantis rebus minus putantur idonei, eadem virtus diuina dignatur ostendere. Vnde & illud magis mirandum est quod per MOYSEM, hominem priuatum & humilem, qui oves socii sui IETHRO pascere solebat, popul^o filiorum Israhel de tyrannide PHARAONIS, & de fornace ferrea Ægyptiæ seruitutis eductus est, quàm si per aliquem fortissimum regem in manu valida, & millib^{us} armatorum populis idem fuisset ereptus. Sic & illud maiori stupore suscipimus, quod per homines brutos & pauperes piscatores & idiotas fidem CHRISTI, nouam prorsus & incognitam, mundus accepit; quàm si vel AVGVSTI CÆSARIS auctoritate, vel PLATONIS sciētia, vel DEMOSTHENIS aut CICERONIS eloquio eiusdem fidei CHRISTIANÆ religio persuasa fuisset & tradita. Opera quippe DEI quanto minus in se humanæ facultatis admittunt, tanto maior in eis diuinæ potentie sublimitas elucescit. Hinc est, quod quædam magna valde, & ardua, stilo tamen humili, & plano, & sermone palpabili libuit explicare; quæ DOMINVS per virum quendam modestum satis, & humilem, nostris temporibus, operari dignatus est, ad laudem vtriusque & gloriam nominis sui, & piam eiusdem viri misericordiam, & presentis loci nostri felicitatem perpetuam. Imo certe ad honorem & gaudium totius THEVRONICÆ nationis; vel quod verius & maius est, ad solatium & tutelam vniuersæ OCCIDENTALIS ECCLESIE, cuius nostræ narrationis pagina nil falsum vel ambiguum continebit; sed veram ac certam rerum gestarum seriem profequetur; sicut idem vir, de quo plurima dicturi sumus, humiliter satis

ac verecundè, putam nobis ac simplicem enarravit historiam. De cuius viri laude atque præconio digna scribere non audemus; ne ipse, qui totum DEO attribuens, nihil sibi quærat ascribi, suis laudibus offendatur. Neque tamen omnino poterimus reticere, ne DEO, quo auctore, hæc gesta sunt, qui suos humiles exaltare consuevit, eundem faciamus iniuriam. Quapropter ita inter vtrumque calamum temperare curabimus, vt & DEI magnalia, quæ per eum gesta sunt, non lateant, & ipse in sua humilitate inoffensus permaneat. Quisquis ergo huic nostræ paginulæ manum vel oculum lecturus admouerit, animi quoque diligentem solertiam rebus ipsis, de quibus hic agitur, subtiliter intuendis studiosus adhibeat. Inueniet siquidem ibi res magnas, & celebres, & quæ, nisi diuino iussu, nullatenus vel accidere, vel fieri potuerunt. Vnde & lectorem volumus esse admonitum; vt si qua etiam à populo nostro contra pietatem facta videbuntur, ea tamen voluntate diuina semper vtique iusta facta esse non dubitet.

Eo igitur tempore quo famosus Prædicator ille FRANCIGENA, FVLCO nomine LEO * autem PARIENSIS ad subueniendum TERRÆ SANCTÆ, & ciuitati eximie HIERUSALEM, à barbaris diu possessa, totas FRANCORVM gentes, totamq; FLANDRIAM, NORMANIAM, atque BRITANNIAM, ceterasq; prouincias suis prædicationibus incitabat; fuit vir quidam in SUPERIORI GERMANIA, MARTINVS vocabulo, ABAS cuiusdam cœnobij de ordine CISTERCIENSI, quod in EPISCOPIO BASILIENSI positum ipsi quoque PARIENSIS appellatur. Quæ vtique res iam in ipso sui exordio quiddam videtur habere miraculi, vt tam ille, qui iam verbu CRVCIS publicè prædicabat, quàm & iste, qui paulo post eiusdem prædicator futurus erat; ambo, inquam, hi viri, sicut pares essent officio, ita ambo PARIENSES cœnobij vocabulo dicerentur. Sed ille quidem à nomine ciuitatis suæ, de qua carnaliter oriundus exiit; hic autem à cœnobio, cui pater spiritualis, vt diximus, præsidebat. Vterque etenim locus, id est, tam præfatum cœnobium, quod & paulo ante dictu est, quàm & famosa ciuitas illa FRANCORVM, PARIENSIS nominatur. Quod nomen lingua quidè GALLICA suam habet etymologiam; THEYTONICE vero ex hoc videtur habere rationem & causam. Primi cœnobitæ, qui de monasterio LVELENSI ad inhabitandum illum locum missi sunt, nil aliud ibi, nisi locum desertum, & frigidum, & puram glaciem repperunt. Nunc vtro per gratiam DEI, qui pauperes suos exultat & promouet, ecclesia celebris est, ditata posses-

2.
M. S. 478

possessionibus & prædiis, ædificiis decorata, & quod his omnibus præstantius est, diuinis nocte ac die mancipata obsequiis. Abbas igitur ille, quem dicimus, maturus quidem erat animo; sed facie iocundus, prudens consilio, familiaritate affabilis, eloquio graciosus, inter fratres suos mansuetus, & humilis, ut quilibet illorum, apud seculares autoritate præcipuus, apud vtrosq; dilectus, atq; tractabilis haberetur. Hic à SUMMO PONTIFICE INNOCENTIO, qui tunc SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIE TERTIVS sub hoc nomine præsidebat, mandatum accepit, ut & ipse indubitanter **SIGNVM CRVCIS** acciperet, & hoc idem alii in partibus illis publice prædicaret. Qui etiam mandato **PONTIFICALI** in vtroque obtemperans, confidenter & impigrè verbum prædicationis arripuit, mirantibus cunctis, pro eo, quod complexio- nis homo tantique laboris impatientis ab omnibus putabatur. Habuit itaq; sermonem ad clerum & populum in ciuitate sua, quæ Græco vocabulo **BASILEA**, id est, **REGALIS**, dicta est, in celebri Ecclesia beatæ Virginis **MARIÆ**, vbi magna vtriusq; ordinis nouis excitata rumoribus conuenerat multitudo. Audierant quippe iam dudum alias circumquaq; prouincias ad hanc **CHRISTI** militiam celebribus prædicationibus excitari. In partibus autem illis nullis adhuc eiusdē rei fecerat mentionem. Vnde & eorum quàm plurimi, parati animo **CHRISTI** castris se tradere, huiusmodi exhortationē totis desideriis expectabant. Stabant igit omnes auribus arrectis, fixis in ipsum obtutibus, quod de hac re vel præciperet, vel moneret, quidue obtemperanti de diuina bonitate promitteret, cupidissimè prætolantes.

3. Verbum mihi ad vos, Domini mei & fratres mei, verbum mihi ad vos; non meum utiq; sed **CHRISTI**. **CHRISTVS** ipse verborum autor est; Ego fragile instrumentum. **CHRISTVS** vos hodie per os meum suis alloquitur verbis, suas vobis deplorat iniurias. Expulsus est **CHRISTVS** de loco sancto suo, de sede sua, deiectus est de illa ciuitate, quam ipse sibi proprio sanguine dedicauit. Proh dolor, vbi dudum **FILIVS DEI** venturus in carne à sanctis Prophetis promissus est, vbi iam natus, & paruulus in templo voluit præsentari, vbi præsens prædicauit & docuit, virtutes & signa frequenter exhibuit, cœnans cum discipulis suis sanctissimi **CORPORIS** & **SANGVINIS** instituit **SACRAMENTVM**; Passus, & mortuus, ac sepultus; Post triduum resurrexit, cernentibus eiusdem discipulis in cœlum assumptus est, & decima die **SPIRITVM SANCTVM** in linguis igneis super eos effudit. Ibi nunc prophanæ gentis dominatur barba-

barbaries. O miseriam! o gemitus! o extrema calamitas! TERRA SAN-
 CTA, quam CHRISTVS suis calcavit vestigiis, in qua infirmos curauit,
 cecos illuminauit, leprosos mundauit, mortuos suscitauit; terra, in-
 quam, illa in manus impiorum data est. Subuersa sunt Ecclesiae, pol-
 lutum sanctuarium, regni sedes & dignitas translata est ad gentes. Sa-
 cro sanctum illud & venerabile CRVCIS LIGNVM, quod CHRISTI san-
 guine perfusum est, ab his, quibus verbum CRVCIS stultitia est, ita
 suppressum occultatur, ita vt nemo CHRISTIANVS quid de illo actum
 sit, vel vnde requiri debeat, scire possit. Gens nostra, quae fines il-
 los habitare consueuerat, tota fere vel hostili gladio, vel longa iam
 captiuitate consumpta est. Pauci qui de clade illa euadere potuerunt,
 apud ACHONEM, vel in aliis tutioribus locis se receperunt, ibique cre-
 bro à barbaris patiuntur incurfus. Hæc est illa CHRISTI necessitas,
 quæ ipsum vobis hodie per os meum supplicare compellit. Nunc
 itaque validi bellatores succurrite CHRISTO: Date nomina vestra
 militiæ CHRISTIANÆ, felicibus castris aggregari satagite. Vo-
 bis hodie causam Christi committo, Vobis ipsum, vt ita loquar, in
 manus trado, vt cum in hereditatem suam, de qua crudeliter eiectus
 est, restituere studeatis. Ac ne vos illud terreat, quod hoc tempore
 gentilis rabies super nostros ad eum inualuit: rerum præcedentium vos
 cupio reminisci. Eo tempore, quo celebris ista expeditio sub nobili
 Duce GOTEFRIDO, caterisque FRANCORVM, ac THEVTY-
 NICORVM PRINCIPIBVS facta est, infidelis ille populus, ita vt
 nunc, CHRISTIANIS omnibus occisis, vel captis; terram illam oc-
 cupauerat, sanctamque ciuitatem IERUSALEM, & TYRVM, ac SY-
 DONEM, ipsamque ANTIOCHIAM, & alias vrbes ^{*m./mm.} munitas imò totam ^{nitam,}
 terram vsque CONSTANTINOPOLIM securè & absque villo metu annis
 quadraginta possederant. Quæ tamen omnia, volente DOMINO, per
 eundem exercitum breuissimo tempore, velut in transcurso recepta
 sunt. NICÆA, ICONIUM, ANTIOCHIA, TRIPOLIS, & alia ciuitates ex-
 pugnatæ sunt. Ipsa etiam sedes regni IERUSALEM populo nostro re-
 stituta. Nunc autem licet impia gens præcipuam illam sedem & maxi-
 mam terræ partem violenter obtineat, nostra tamen est ACHON,
 nostra est ANTIOCHIA, nostræ sunt & adhuc alia quædam vrbes
 munitæ & validæ, quarum præsidio, diuino fauore, & viribus no-
 stris, incliti bellatores, etiam præclara sedes illa cum omnibus a-
 illis sub nostram poterit redigi potestatem. Si autem queritis, quid
 à DEO certi stipendii pro tanto labore sperare debeatis; certissi-

mè vobis polliceor, quia quisquis SIGNVM CRVCIS acceperit, & pi-
ram fecerit CONFSSIONEM, ab omni profus mundabitur peccato,
& quocunq; loco, vel tempore, seu casu præsentem reliquerit vi-
tam; æternam accipiet. Tacco nunc, quòd terra illa, quam petitis,
longe hæc terra opulentior est atque fecundior; & facile fieri potest,
vt multi etiam ex vobis in rebus etiam temporalibus prosperiorem
ibi fortunam inueniant, quàm hîc se expertos meminerunt. Nunc
videte fratres, quanta sit in hac peregrinatione securitas; in qua & de
regno cœlorum promissio certa est, & de temporali prosperitate spes
amplior. ego ipse spondeo socium itineris, & laboris; & prout Deo
placuerit, prospera vobiscum & aduersa partiri desidero. Nuncigi-
tur, fratres, lætis mentibus triumphale SIGNVM CRVCIS accipi-
te, vt & causam CRVCIFIXI fideliter exequentes, pro labore breui &
modico, magna & æterna percipere valeatis stipendia.

Hæc loquente venerabili viro cunctis, qui aderant, vehemen-
ter atterritis; videres lacrimas, tam per eius faciem, quàm per ora om-
nium largissimè defluentes. Audires gemitus, & singultus, atque sus-
spira, & alia huiusmodi signa, quæ internæ compunctionis faciebant
indiciam. Hunc itaque præfati ABBATIS sermonem idcirco diligen-
ter prosecuti sumus: quia cum ipse postea frequenter & illos, & alios
viriliter exhortatus sit; de nulla eius exhortatione quidquam sumus
dicturi, vt ex hoc eius diligentia, quàm strenuus etiam in aliis creden-
dus sit, liceat aestimare.

4.

Assentit denique vir DEI precibus illorum, & qui, vt iam dixi-
mus, à SUMMO PONTIFICE curam animarum acceperat, exterioris
quoque providentiæ rogatus accepit officium. Tunc exhortans il-
los, & confortans in CHRISTO, cuius militiam professi erant, certum
tempus constituit, quo rebus suis dispositis, parati omnes ad eundem
locum ei occurrerent; ibique secum iter sanctæ peregrinationis arri-
perent. Redeuntes autem ad propria, diligenter admonuit, vt tem-
pore medio castè & innocuè se haberent, & seipfos CHRISTO, totius
puritatis amatori, milites exhiberent idoneos. Ipse verò cum hono-
sto comitatu præcipua & maximè populosa totius regionis loca cir-
cuiens, crebras prædicando faciebat stationes, & plurimos ad eandem
CHRISTI militiam conuertebat. Quibus etiam illud curabat in-
iungere, vt: qui possent, præfixo tempore ad locum prædictum a-
lius occurrerent, cum eis pariter profecturi. Qui verò propter tem-
poris

poris angustiam à negotiis suis expediri non possent, quàm celerimè fieri possit, alios sequerentur. Tempore autem professionis iam vicino, MARTINVS LITZ, auctoritate PONTIFICALIS mandati tutus esse cupiens, tamen sanctæ professioni suæ reuerentiam exhibere, fontem totius ordinis CISTERTIIVM adiit, ibique ab ipso loci eiusdem Abbate, aliisque præcipuis quibusdam Abbatibus, peregrinationis licentia, & benedictione accepta, ad monasterium suum reuersus est. Vbi etiam fratrum suorum se orationibus commendans, & eos mutua caritate diuinæ pietati committens, BASILEAM petiit; vbi iam SIGNATORVM multitudo magna conuenerat: à quibus lætissime susceptus est. Ibi quoque sermone exhortationis habito, seipsum, & socios beatæ VIRGINI commendauit, humiliter rogans, vt ipsa Filio suo nouum conciliaret exercitum. Postea valedicens clero, & populo eiusdem ciuitatis, à quibus plurimum diligebatur, læto vultu, & mente impauida sanctæ professionis laborem cum sociis aggressus est. Quæ ex re illud conuicere possumus, hominem DEI nescio quid magni iam tunc in animo concepissee, & quæ Deus per ipsum facturus erat, certo iam mentis augurio præflagire.

Profectus itaque de ciuitate BASILEA Signatorum exercitus, relictis aliis stratam illam arripuit, quæ per angustos TRIDENTINÆ vallis anfractus VERONAM ducit, minori quidem labore, & maiori compendio. Erat autem tam clara & celebris famæ præcurrrens opinio, vt non solum hi, per quos cis transitus erat, verum etiam de villis & oppidis cateruatim occurrerent; & eos multo fauore, & gratia suscipientes, victui necessaria in suis pretiis exhiberent. MARTINVM verò præcipuè mirabantur, quod homo religiosi habitus, & vitæ admodum spiritualis armatum ductaret exercitum; seque ipsum tanti laboris officio tam strenue coaptaret. Vnde & nomen eius inter se celeberrimè frequentantes, post illum TYRONENSEM, qui in sanctorum confessorum catalogo ferè primus atque præcipuus est, quadam similitudinis ratione, MARTINVM hunc alterum vocitabant. Et reuera si rem diligenter inspicimus, quadam, ne multa dixerim, in utroque concurrunt similia. Primum quidem, quod sicut ille aliquando armatam sequens militiam, sicut de ipso scriptum est, tam sanctè & innocue se habebat, vt iam tunc non tam miles, quàm monachus putaretur; ita & hic verus monachus, imò Pater monachorū, armatū ducens exercitum,

citum, inter belligeros homines ita vixit, vt quantum labor inciens,
vel iniuncti cura permittebat officii, de rigore suæ professionis nil
sibi penitus relaxaret. Deinde sicut ille tantæ fuit compassionis in
pauperes, vt asperimo frigore chlamydem, quam vnicam habe-
bat, cum nudo paupere partiretur, sic & iste de his, quæ vel se-
cum detulit, vel postea, volente DEO, copiosè adeptus est, indi-
gentibus sociis largas distribuit portiones: aded, vt in duobus die-
bus centum viginti marchas in *vtilis vsus liberaliter erogaret; &
in tertia die septuaginta marcas argenti. Tertium est, quod sicut
ille de monacho factus Episcopus, in sua tamen paupertatis humilitate
seipsum semper continuit; sic & iste, sicut nobis certissimè
compertum est, cum posset vel Episcopatum, vel quas vellet alias
ecclesiasticas dignitates, imò & immensam auri argenti que pecu-
niam, nonnullis rogantibus, accepisse; amore tamen ordinis mon-
asterii sui, cui DEVS per ipsum, & ipse per DEI gratiam solen-
niter benefacere cogitabant, oblata respuit; & expleta peregrina-
tione ad fratres, pauper quidem spiritu, sed cœlestis thesauri ope-
ribus diues, & plenus reuersus est. Sunt & alia fortè plura quæ pos-
sent in vtroque MARTINO, vnus ad alterum similia reperiri; ni-
si fortè minus idoneo lectori vel sanctissimum Confessorem nimis
deprimere, vel honestum virum, quem dicimus, attollere videremur.
Quapropter vtrumque debito fine honoris venerari nos con-
decet. Sed illum quidem, velut sanctissimam animam, iam fruentem
consortio angelorum; hunc verò tanquam prudentem virum ad-
huc in carne agentem; qui & iam apud DEVM & homines magni
meriti æstimatur, & postmodum apud vtroque amplioris gratiæ
per DEI gratiam futurus sit. Sed neque illud silendum credimus,
quia in illius sancti MARTINI sacro natalitio isto MARTINVS na-
tus est in mundum. Et ided MARTINVS appellatus est, &c.

6. Venientes itaque VERONAM milites peregrini cum Ducesuo-
tam à populo ciuitatis, quàm ab alia multitudine maxima SIGNATO-
RVM, quæ illas de diuersis mundi partibus ad eundem locum præuen-
erat, lætissimè suscepti sunt. Nam & ipsius vrbis EPISCOPVS MARTINVM
in domū deuotè ac reuerenter assumpsit, eiq; per octo ferè hebdoma-
das sumptus & obsequiū beneuolè ministravit. Postea discedetes VE-
NETIAM petierūt, ibi naues intrare decreuerāt, & inde vers⁹ ALEXAN-
DRIAM ciuitatē ÆGYPTIAM recto impetu nauigare, p̄co, q̄ tēpore illo
in par-

in partibus transmarinis inter nostros & barbaros induciz pacis etate
 quas nostris, salua fide, quam interposuerant, soluere non liceret.

Erant autem in exercitu SIGNATORVM famosi, & potentes viri
 quamplures, tam seculares, quam Ecclesiastici. Inter quas BALDVI-
 NVS COMES FLANDRENSIS, & BONIFACIVS MARCHIO de MONTE
 FERRATO, auctoritate & viribus, atq; consilio precipui habebantur.
 Et siquidem omnes vno consensu in hoc conuenerant, vt petentes
 ALEXANDRIAM, & eam viriliter obsidentes, non tam belli fortunam
 quam diuinæ virtutis experirentur potentiam. Quod utiq; si fecisset,
 sperabile satis erat, tam ipsam magnificam ciuitatem, quam & maxi-
 mam totius ÆGYPTI partem facili compendio in eorum potestatem
 posse transferri; eo quod totus ferè populus terræ vel consumptus fa-
 me perierat, vel squalibat penuria propter sterilitatem eiusdem vide-
 licet terræ, cui NILVS frugiferas aquas, quibus eam rigare solet, annis,
 vt aiunt, iam quinq; subtraxerat. Impediebatur autem illud PRINCI-
 PVM nostrorum laudabile satis consilium fraude & nequitia VENE-
 TORVM, qui tanquam domini nauium, & PRINCIPES ADRIATICI ma-
 ris, eis nauigium penitus abnegabant, nisi cum ipsis prius celebrem
 DALMATIÆ ciuitatem, iuris autem HUNGARICI * IAFIRAM expug- *al. Iazira*
 narent. Atiebant enim, illam semper suis utilitatibus fuisse contraria;
 adeo, vt sæpe ciues eiusdem vr̄bis naues illorum mercibus onustas pi-
 ratiscis inualtonibus spoliassent. Quæ utiq; res nostris principibus, tā-
 quam Deum timentibus, crudelis ac nefaria videbatur; tum quia ci-
 uitas illa CHRISTIANÆ gentis erat, tum quia ad Regem HUNGARIÆ
 pertinebat, qui & ipse signo CRVCIS accepto, vt moris est, sub prote-
 ctionem SUMMI PONTIFICIS se & sua tradiderat. Illis ergo instanter
 vrgentibus, nostris autem obnixè negantibus; sub hac contentione
 atq; discordia, plurimum temporis elapsum est. Putabant enim rem
 omninò detestabilem, & CHRISTIANIS illicitam, MILITES CRVCIS
 CHRISTI in homines CHRITIANOS cæde, rapina, & incendio degra-
 fari. qualia in expugnandis vr̄bibus frequenter solent accidere. Vn-
 de & multi pauperes, qui secum pauca detulerant, eisdem consumptis,
 non habentes vltra viaticum, relicto exercitu, versis vestigiis ad pro-
 pria regressi sunt. Sed & quidam potentes & diuites viri non rerum
 penuria laborantes, quàm perpetrandi flagitii horrore perterriti, in-
 uiti, ac penè nolentes, in reditum conuersi sunt. E quibus aliqui
 ROMAM petentes, vix à SUMMO PONTIFICE redeundi licentiam im-
 petrare potuerunt; ea tamen conditione præfixa, vt saltem post ali-
 quot

quot annos votum suae peregrinationis exsoluerent. Qui reditus peregrinorum non solum exercitum nostrum illorum fraudavit absentia, verum etiam multos, qui de GERMANIA, caeterisque regionibus subsequi festinabant, ab illo, quem conceperant, animi feruore cohibuit, ut in locis suis imoti consisterent.

Tempore autem illo missus est ad exercitum nostrum CARDINALIS quidam, PETRVS videlicet CAPVANVS, quem SUMMVS PONTIFEX ad hoc direxerat, ut praefatam sedaret controuersiam, ageretque cum VENETIS, ut felici embale, id est, CHRISTI militiae maturum versus ALEXANDRIAM praestarent nauigiū. Quod cum ab eis nullatenus extorquere posset, nisi nostri propositam sibi conditionem implerent, visum est eis veniale magis, & minus improbabile, minori malo maius bonum compensare, quam VOTVM CRVCIS inexpletum relinquere, & gressu retrogrado ad suos cum peccato reportare infamiam. Sponderunt itaque facturos se, quod illi instantur exigebant, accepto nihilominus ab eis certissima sponcione, quod ipsi quoque armati non stros vsque ALEXANDRIAM & comitarentur, & veherent. Videns ergo MARTINVS noster non solum negotio CRVCIS moras inieci, sed & toti exercitui nostro fundendi sanguinis CHRISTIANI necessitatem incumbere; nesciens quomodo se verteret, quae ageret, totus in se exhorruit, & de pluribus, quorum ei quodlibet displicebat, illud elegit, quod in tali articulo potissimum videbatur. Aggressus itaque praefatum CARDINALEM, omnium precum instantia suppliciter exorabat, ut eum a voto peregrinationis absolutum, ad solidam claustralis vitae quietem transire permitteret. Ille vero nisi prius expleta peregrinatione, omnem prorsus ei reditum denegabat, & insuper maiorem imponens sarcinam, auctoritate SUMMI PONTIFICIS, omnes ei commisit THEOTONICOS, quos vel ipse adduxerat, vel ibi repererat, vel qui postmodum ad eundem exercitum essent venturi. Iniunxit etiam tam ei, quam quibusdam aliis religiosis, qui aderant, ut per omnes casus socios sequerentur, & eos a sanguine CHRISTIANO, quantum possit fieri, cohiberent.

Traiecta igitur classe per mare ADRIATICVM, quod & ipsum DALMATICVM appellatur: alterum quidem ab ADRIA ciuitate, vel secundum fabulas, a filia * IONIS ADRIA; alterum vero a DALMATICA,

m. f. v. d. d. se Nunnoia
Adringue. Sunt, qui scribant, ut apud Ianum Parrhasium Eustathius, Ion Italus Adria per-
ter fuit, a quo Sinus Ionius, qui nunc ab Adria filia dictus est Adriaticus,

quam aluit, appellationem accipiens, milites nostri celeri cursu, sed mente tristi & tarda, regionis opposita littora tenuerunt, ac ne in re odiosa, & sibi ipsis detestabili diurnas agerent moras, praefatam urbem magno terrore & fremitu obsederunt, eamque per triduum non tam hostiliter, quam minaciter oppugnantes, sine caede & sanguine ad deductionem compulerunt. Quae ciuitas postquam suis victoribus tradita est, mox eam VENETI à fundamentis inexorabili odio subuerterunt. Quo in facto, quia nostri SENTENTIAM EXCOMMUNICATIONIS inciderat, pro eo, quod reb. HUNGARIAE REGIS manus iniicissent, quas ille signo CRUCIS accepto, B. PETRI, SUMMIQUE PONTIFICIS protectioni commiserat: visum est nostris ad eundem SUMMUM PONTIFICEM nuncios destinare, ut coactae culpae misericorditer condescendens, eos ab illa sententia excommunicationis absolueret. Cui legationi prosequendae cum personae utiles & idoneae quarerentur, electus est MARTINVS ABEAS, & cum eo SVESSTONENSIS EPISCOPVS, vir magnae sanctitatis, & dulcis facundiae, & tertio MAGISTER IOHANN. PARISIENSIS, homo FRANCIGENA, nobiliter eruditus, & sermone affabilis; quorum interueniente praesentia, causa fauorabilis apud SUMMUM PONTIFICEM plenius fulciretur.

Qui tres viri cum ROMAM venissent, admissi causa, quam attulerat, fideliter exponentes, dominum PAPAM humillimè rogauerunt, ut coacto flagitio, quod milites nostri ob CHRISTI honorem in CHRISTIANOS commiserant, clementer ignosceret, & causa diligenter inspecta, illam EXCOMMUNICATIONIS relaxaret sententiam. Ille vero tum fauore, quem necessitas excusabat, tum nostri exercitus humili supplicatione, tum etiam nunciorum gratia & auctoritate permotus, habita secum deliberatione petitae indulgentiae benignus assensit, iussitque scribi formam absolutio- nis ad nostrum exercitum perferendam. Erat. n. vir multae discretionis, & gratiae, iuuenis quidem aetate, sed canus prudentia, maturus animo, morum honestate compositus, clarus genere, forma conspicuus, amator aequi & boni, inimicus autem nequitiae & malitiae, adeo ut non tam sorte, quam merito INNOCENTIVS vocaretur.

Factum est autem, dum adhuc nuncii nostri in curia versarentur, certus rumor insonuit, venisse videlicet ALEXIVM iuuenem in castra, GRAECVM genere, filium videlicet ISAAC REGIS CONSTANTINO. missum à PHILIPPO REGE THEOTONICORVM, cum nunciis & mandatis, quibus obnixè rogabat exercitum, ut praefatum iuuenem in regnum suum restituere niteretur. Cuius rei ordo talis est, si ordo congruè dici potest, rerum inor-
dinatè

dinatè & crudeliter gestarum narratio. Regnante igitur apud Græcos ISAAC illo quem diximus, frater eius ALEXIVS, patruus minoris ALEXII, cuius & modò facimus mentionem, consilio quorundam pessimorum, maximè autem cuiusdam cognati sui, nobilis quidem viri, sed perfidi, qui MYRTIPHLO, id est, FLOS, CORDIS in gente illa vocabatur. Eundem fratrem suum ISAAC regno deiecit, & ipse regnū arripens, filium eius, & eundem nepotem suum, hunc scilicet, de quo nunc agitur, ALEXIVM sub diligenti custodia carceri mancipavit. Qui tamen inuenta opportunitate latenter effugiens occulta, & celeri fuga, THEVTONIAM petiit: veniensq; ad PHILIPPVM REGEM, qui sororem ipsius habebat vxorē, suas illi, patrisque miseras, & patris crudelitatem fideliter conquestus est. Qui præfatum iuuenem satis honestè suspiciens, eum apud se aliquanto tempore magno dilectionis affectu detinuit, eiq; sumptus & obsequia copiosè ac liberaliter ministravit. Audiens autem exercitum nostrum LAZARA expugnata circa fines GRÆCIÆ conuersari, sæpe dictum iuuenem cum nunciis, & epistolis suis direxit ad PRINCIPES, vtrum si fieri posset, in regnum patris sui reducere molirentur. THEYTONICVS autem pro eo quod sui iuris esse videbantur, hanc rem securiosius & imperiosius iniungebat. MARCHIONEM cognatum suum, eius, quæ inter eos erat, commonebat propinquitatis. FLANDRENSES, atque FRANCIGENAS, & VENETOS, & aliarum regionum homines, omni precum molimine sedulus exorabat; certissimè promittens, si ille auxilio ipsorum sedem suam reciperet, peregrinis omnibus tam per THEVTONIAM, quàm per totam GRÆCIAM, tutam ac liberam in perpetuum patere viam. Accedebat etiam ad hoc, quod idem iuuenis certissimè pollicebatur, si viribus eorum restitutus foret, eis iam commune argenti trecenta marcharum millia se daturum. His omnibus causis in vnum concurrentibus, maior pars nostri exercitus in assensum iuuenis iam ceperat declinare. Pauci verò, qui de CAVCIS prouentu magis erant solliciti, obnixè dissuadebant: dicentes, id quod & verisimile putabatur; præfatum iuuenem sine ferro & sanguine nullatenus posse restitui: videbatur enim eis stultum, & improbum, paucos homines peregrinos, nec habentes quo se reciperent, omisso SANCTÆ PEREGRINATIONIS proposito, certo suo periculo, pro confidis alienis, tantæ vrbi, tam munitæ, tam populosæ, bellum indices, quod sine multa cæde alterutrius partis, vel fortassis vtriusq; terminari non posset. Sed de hac re, id est, de iuuenis illius restitutione, ad tem-

pus tacendum est. sequentia suo tempore prosequemur. Postquā ergo, sicut loqui cœperam, rumor iste ROMÆ auditus est, dominus PAPA cum omni Clero suo, nunciisque nostris, aliisque quam plurimis vehementer expavit; metuens ne maligni hostis invidia hac occasione velotius exercitus nostri machinaretur interitū, vel saltē CRVCIS negotium impediret. Oderat autē SYMMVS PONTIFEX illā urbē tam ipse, quā cum eius prædecessores à multo tempore. quoniam iam diu ROMANÆ ECCLESIE rebellis extiterat, & in quibusdā fidei articulis, velut in PROCESSIONE SPIRITVS S: quē GRÆCI de filio procedere negant, & in modo sacrificandi, quod illi in fermētato facere solent, à FIDE CATHOLICA dissidebant. Vnde & quendam CARDINALEM, q̄ quodam tempore à SYMMO PONTIFICE ad eos corripiendos & instruendos missus erat, versis sursum vestigijs, & capite deorsum in aere suspenderūt, donec comunicato cum PETRO spiritum exhalaret. Oderat igitur eam, ut diximus, & optabat, si fieri posset, eam à gente CATHOLICA sine sanguine expugnari, nisi nostri cladem exercitus formidaret. Hoc a per nostros posse fieri non sperabat, dicens, eandem urbem plus in solis nauibus piscatorum abundare, quā illos in toto nauigio. Habebat enim mille sexcentas piscatorias naues, quarum quzlibet per totum annum ad quatuordecim dies sisco regio perfoluebat nummum aureum, qui * perperam vocari solet FERDONI, id est, quartæ parti Marcæ vnius æquiualens. Bellicas autē siue mercatorias habebant infinita multitudinis, & portum tutissimum. Erat autem de consilio & sententia eiusdem SYMMI PONTIFICIS, qui de CRVCIS negotio maxime anxiebat, ut nostri recto cursu versus ALEXANDRIAM nauigarent. Permittebat etiam eis, ut de maritimis locis ROMANIÆ, quam alluit id mare, cibos inēptos, id est, absq; pretio moderatē tollerent, q̄ eis ad annum dimidium possent sufficere. Quod suum consilium, quia mutari metuebat, & CRVCIS profectū terrenis occupationibus impediri, merito tam ipse, quā alii omnes nouis rumorib⁹ turbabatur.

*ms. ppera
f propriet
sa.*

Instabat igitur ABBAS omni precum molimine, & has omnes, quas diximus caussas, aliasque præterdens, redeundi licentiam flagitabat. Ille verò omnino ei reditū denegabat, nisi prius TERRAM MARTINVS cum socijs, accepta PONTIFICALI BENEDICTIONE, cum literis continentibus formam absolutionis, quæ nostro exercitui redderetur, BENEVENTVM petiit, reperitq; ibi PETRVM illum CAPVANVM, cuius supra meminimus, versus ACHONEM, recto cursu transnauigare

Aaa cupien-

cupientem. Cui MARTINVS adhærens pontificales epistolas per locos
 misit ad castra. per quos etiã THEOTONICÆ cohorti, quam prius du-
 ctauerat, verbis excusatoris valedixit, 2. Nonas April. Deinde apud
 STPVNTEM nauẽ ingressi, post laborem diuturni tẽporis portũ ACHO-
 NIS tenuerũt, vbi etiam ab omnibus celeberrimẽ suscepti sunt, 7. Kal.
 Maii. Erat. a. ibi THEVTONICÆ gentis magna frequẽtia, inter quos
 quidã nobiles & potẽtes viri, q. MARTINVM in GERMANIA prius so-
 uerãt atq; dilexerãt, eũ deuotissimẽ susceperunt. CAPVANVS verò om-
 nes ei THEVTONICOS, qui vel tunc aderãt, vel postmodũ superuentu-
 ri sperabantur, SVMMI PONTIFICIS autoritate commisit. Eadem astu-
 te circa dies illos, qui propter feruoris malitiam canicularis vocati so-
 lent, orta est ibi grauissima pestis, & corporum humanõrum corrup-
 tio in tantum, vt vna die plus quã bis mille corpora mortuorum se-
 pulta memorentur. Erat autem tam subita & improuisa lues, vt quis-
 quis cepisset agrotare, infra triduum mortem certissimẽ expecta-
 ret. Vnde & multi subita agritudine deprehensi, cum de rebus suis di-
 sponere non valerent, vocato ABBATE, omnia sua illi tradebãt, vel re-
 tinenda in proprium, vel distribuenda sociis egentibus, retenta sibi
 parte sua pro libitu disponentes. Quã rem ipse MARTINVS ita fideliter
 exequabatur, vt in duobus diebus, quod & paulo ante dictum est,
 centum viginti marchas in tales vsus expenderet, & in tertia septua-
 ginta marchas. Quorundam etiam virorum fortium arma, quẽ illi ob
 rerum penuriam pignori supposuerunt, ipse gratuito pretio satis li-
 beraliter redimebat. Amplius autem per infirmos strenua pietate dil-
 currens, tam consilio, quã rerum impensa beneuolẽ prouidebat,
 admonens eos de pura confessione, de certa spe aternitatis, ne mor-
 tem breuem & momentaneam formidarent; post illam continuo
 vitam interminabilem accepturi, Sanos etiam viriliter exhortabatur,
 ne terreret eos breuis illa, & citò transitura calamitas, sed promptis a-
 nimis ad vtrumlibet parati essent, vel hanc vitam ad honorem Dei di-
 utius producere, vel socios sequendo aternam breui compendio fe-
 liciter adipisci.

10. Hac igitur peste in ciuitate illa & finibus eius diu peruagante,
 maxima tam ciuium, quã peregrinorum ibidem commorantium
 eiusdem contagionis tãbe consumpta est. Nam & de sedecim hoium
 personis, quã in ABBATIS hospicio versabantur, vix ipse quartus mor-
 te effugit; ceteri omnes periculo succubuerunt. Sed & hi qui super-
 stites erant, qui responso mortis accepto languidi & exsangues eam
 per

per singula momenta certissime præstolabantur. Accessit autem ad hoc & aliud incommodum: quoniam induciæ pacis, quæ inter nostros & barbaros iuramento firmata fuerant, fraude illorum, & nequitia soluta sunt; captis & spoliatis duabus nauibus nostræ gentis, & direptis omnibus, quæ in eis vehabantur. Quam tamen iniuriam nostri fortiter ac celeriter vindicantes, sex illorum naues magnas annona & mercibus ac aliis rebus onustas in mari deprehensas, tam ipsas, quam omnia, quæ in eis erant, sibi prædam fecerunt. atque ita diuina virtute & sua, fraudem illorum viriliter vlti sunt. Renouato itaque bello cepit hostilis rabies solito vehementior nostris incumbere, tum propter numerum pauciores, tum quia & hi, qui residui erant, tanquam morte vicina imbecilles & inualidi putabantur. Quapropter visum est his, qui inter eos præcipui habebantur, nuncios ad castra peregrinorum dirigere, quos in GRÆCIA versari acceperant, ut ciuitati ACHONITANÆ, & illi portiuncule TERRÆ SANCTÆ, quam adhuc nostri multo labore & periculo possidebant, maturo subuenirent auxilio, & scirent eam vix iam posse diutius defendari. Hanc quoque legationem, rogantibus illis, suscepit ABBAS MARTINVS cum alio quodam viro CONRADO scilicet, ADVOCATO DE SWARTZENBERG: Cuiusdem ABBAS testimonium perhibet tantæ integritatis, ut quoties se vel ioco, vel serio, vel casu mentitum esse recordaretur, tot venias in seereto petere consueuisset. Ex quo & illud satis patet cum, qui in leuibus, & his, quæ alii ferè omnes pro nihilo ducunt, tam prouidus erat, in maioribus nullatenus fuisse negligentem. Tertia ergo die ante festum sancti MARTINI præfati duo viri nauem ingressi sunt, & in CIRCVMCISIONE DOMINI iuxta CONSTANTINOPOLIM littora tenuerunt. Vbi tunc exercitus noster non satis lætus agebat, eo quod magnum discrimen incurrisset negotiis implicitus alienis, Quod vtrique DEVM ita ordinasse credendum est, ut ciuitas illa, quæ pro sua magnitudine atque potentia, iam multo tempore ROMANÆ SEDI rebellis fuerat, virtute nostrorum, & insperata victoria vnitate Ecclesiasticæ redderetur.

Venientes itaque ad nos nuncii transmarinæ CHRISTI militiæ reuerenter ab omnibus ac beneuolè suscepti sunt; maximè autem à THEOTONICIS illis, quibus ABBAS præesse consueuerat. Exposita autem causa sui aduentus, compassionem vtrique magnam experti sunt; sed nullam omninò spem consilii, seu auxilii à nostris acceperunt: quippe quæ nos sibi ipsi posse satis vtiliter videbantur. Erant enim in tanto extremæ

aduersitatis articulo, vt nec circa ciuitatem ipsam satis essent secuti propter inastimabilem, hostilemque *GRAE* plebis multitudinem nec ab ea absque multo labore ac periculo discedere possent, propter innumeras illorum naues, quibus, si fugerent, eos persequi, & expugnare satis hostiliter cogitabant. Vnde factum est id, quod raro lolet accidere, vt nostri eidem ciuitati, de qua fugere non audebant, obsidionem ponere cogitabant. ad cuius rei euidentem notitiam, opera pretium est, illud explicandum resumere, quod in superioribus nos ad tempus suppressisse meminimus. Quam rem si quisquis diligenter aduerterit, occulta Dei iudicia, & latentes rerum accidentium causas poterit prouocare.

II.

Ordo autem rerum illarum, quae nostros in hanc perduxerant necessitatis angustiam, hoc modo colligi potest: Cum regius ille iuuenis *ALEXIVS*, quod & supra dictum est, cum nunciis & epistolis *PHILIPPI REGIS* in castra venisset; & ipse quoque precibus suis & promissis ingentibus, Principes exercitus nostri plurimum permouisset, ceperunt paulatim omnes, vt diximus, in eius fauorem, & causam ipsius praesidium declinare, quod utique diuersis ex causis agebatur, tum ob gratiam Regis *PHILIPPI*, qui nostris pro ipso attentius supplicabat, tum quia pius eis videbatur, si fieri posset, legitimum regni haeredem, crudeliter deiectum, in sedem suam reducere: tum etiam propter eiusdem iuuenis preces, atque promissa, qui si restitutus foret, magnum peregrinis omnibus, & tunc, & postea praestare posset auxilium. Aderat autem & illud, quod eandem ciuitatem *S. ROMANA* ECCLESIAE nouerant esse rebellem & odiosam, nec putabant eius oppressionem a nostris *SYMMO PONTIFICI*, vel etiam *DEO* plurimum displicere. Sed & *VENETI*, quorum nauigio utebantur, ad hoc praecipue impellebant, partim in spe promissae pecuniae, cuius illa gens maxime cupida est, partim vero pro eo, quod eadem ciuitas multitudine nauium freta in toto illo mari principale sibi dominium arrogabat.

Harum omnium rerum, & forte aliarum concursu illud actum est, vt omnes in fauorem iuuenis unanimiter consentiret, & ei suum pollicerentur auxilium. Fuit autem & alia, vt credimus, causa, longe his omnibus antiquior atque potentior, diuinæ scilicet bonitatis consilium, quod gentem illam elatam ex rerum opulentia ab illo fastu suo deprimi, & ad pacem & concordiam sanctæ vniuersalis Ecclesiae reuocare, hoc ordine disponebat. Cōgruū q̄ppe videbatur,

videbatur, ut gens illa, quæ aliter corrigi nõ valebat, paucorum exde, & rerum temporalium, quibus intumuerat, amissione puniretur, ut & populus peregrinus superbiorum spoliis ditesceret, & terra tota in nostram tranfiret potestatem, & occidentalis Ecclesia sacrosanctis reliquiis, quibus illi se indignos reddiderant, illuminata perpetuo letaretur. Accidit autem & illud, quod utique magnum est, quod sæpe dicta ciuitas, quæ semper infida peregrinis extiterat, deinceps, volente DEO, mutatis ciuibus, fida & vnanimis permanebit, & nobis ad expugnandos barbaros, & TERRAM SANCTAM obtinendam ac possidendam quanto vicinius, tanto præstantius ministrabit auxilium. Quæ omnia utique cassarentur, si gens illa per homines alterius fidei, veluti GENTILES, aut HÆRETICOS expugnata foret; imò quod & grauissimum esset, in eorum transfret errorem. Has igitur causas apud DEVM arbitrator præcessisse, nobis quidem occultas, ei verò, qui omnia præuidet, manifestas: quibus res istæ grandes atque mirificæ, quas sumus dicturi, certo limite, sed occulto, ad suum perducerentur euentum.

Ex hac igitur tam occulta & inscrutabili diuinæ mentis conceptione, quæ omnia formaliter comprehendit, quam nec arenæ numerus, nec guttarum in mari, nec frondium in siluis fallere potest, omnia, quæ in tempore fieri, vel contingere solent, certo tramite, & immutabili cursu proficiscuntur. Vnde & eam GRÆCORVM PHILOSOPHI archetypum, id est, principalem figuram vocare solent: IOHANNES in EVANGELIO suo VITAM nominat. Quod factum est, iniquens, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Sicut enim in mente hominis, qui mortalis est, res illæ quodammodo viuunt, quas cogitat in præsentis, siue illæ præsentis sunt, siue adhuc futuræ sperantur, ita quidem, imò multo verius in mente diuina, quam Græci Noyn vocant, quæ tota vitalis, vel potius ipsa vita est, quæ nihil vel ignorare vel obliuisci potest; viuere omnia etiam antequam fierent, quæ vel postea creata sunt, vel adhuc vsque ad finem seculi creabuntur. Quæ diuinæ mentis conceptio cum rerum omnium & minimarum ideas, id est, formas continet, multo magis hanc rem, quam dicere proponimus, tantam, tam nouam, tam mirificam, sicut futura erat, ita ab æterno complexa est. Itaque ex illa irrefragabili Dei dispositione illud processisse credendum est, quod exercitus noster, qui mox capta LAZIRA ver-

ius ALEXANDRIAM tendere festinabat, mutato proposito huic tan-
te ciuitati bellum indixit, & directo nauigio fines eius hostiliter
ingressus est, positus castris haud longè ab ipsis mœnibus vr̄bis ad
bellum paratus confedit. Cui cum magna multitudine armatorum
occurrit ille fraternæ sedis inuasor & possessor ALEXIVS, qui
breui conflictu virtutem militum vix expertus, diffidens cause
suz, & ignauiz sociorum, quos nec sibi propter perpetrata flagi-
tia satis fidos arbitrabatur, mox in fugam turpiter conuersus
est.

43. Ciues itaque magnificæ vr̄bis territi fuga REGIS sui: quem et-
iam plerique nec prius propter scelera perpetrata satis dilexerant, si-
mulque per nuncios à iuniori ALEXIO promissis, ac precibus fre-
quentius attentati, nostris quoque contra spem suam comminan-
tibus excidium vr̄bis, nisi illum legitimum heredem regni in regem
susciperent, patentibus portis illum cum toto exercitu infra mœ-
nia pacificè admiserunt. Qui etiam iuuenis regalibus ornatus in-
dumentis, in sede regni, vt decuit, absque mora collocatus, di-
midiam promissa pecuniæ partem Principibus nostris beneuo-
lè ac liberaliter numerari iussit; sperans se id quod reliquum erat,
breuissimo tempore redditurum. Manserunt itaque nostri in ipsa
ciuitate per aliquot dies, & tam noui regis, quam ciuium ipso-
rum obsequio moderatè vtentes id maxime cauebant, nec uione-
rosi hospites viderentur. Sed quoniam ciuitas ipsa licet magna &
speciosa duobus populis tam diuersis lingua & moribus, nec satis
mutua dilectione consentientibus, tanteque hominum & equo-
rum multitudini sufficere non valebat; placuit eis, vt relicta vr̄-
be, in locum planum atque diffusum sese reciperent, ibique posi-
tis castris, promissa REGIS commodius expectarent. Quibus vr̄-
bem egressis cepit oriri occulta quædam ciuium aduersus REGEM
seditio, plerisque murmurantibus, quod ipse homines peregrin-
nos, & a moribus suis alienos tanto foueret affectu, & iam se-
rè totius opes GRÆCIAE sine causa ad eos transtulisset, & adhuc
tantundem, vel forte plura, spoliato regno suo, eis largiri pro-
poneret. Quam rem cum omnes ferè quererentur, ausi sunt etiam
ipsum regem patenter arguere; publicè prohibentes, ne regnum
suum pro commodis spoliaret alienis, ne suorum inopiam præ-
dam faceret aliorum; sed eos, tanquam rerum alienarum cupidif-
simos inuasores pariter cum ipsis persequeretur & perderet. Quæ
illo-

Illorum seditio nouum REGEM vehementer exterruit, tum propter ciuium eorum perfidiam, qui eum coacti susceperant, tum propter illam, quam in nostros habebat dilectionem; tum propter iuramentum de reddenda pecunia, quod ipse bona fide prestiterat. Videres eum grauius anxium, quasi medium inter suorum nequitiam, & amorem nostrorum, & gratiam PHILIPPI REGIS, quod si nostros vel falleret, vel laederet, grauius metuebat offendere. Cum ergo ad tantum facinus non facile posset impelli. MYRCIPIO ille, cuius superius fecimus mentionem, cuius consilio pater eius cecatus, & ipse in carcerem retrusus fuerat, cum propria manu suffocauit, dicens: Minus esse malum, si solus ipse praesenti vitae foret exemptus, quam si totius GRÆCIÆ opes ad ignotos quosdam homines eius stultitia transferrentur. Quo sublato de medio ipse tanquam homo regii generis, & ipse quoque sanguine propinquus, diadema sibi imposuit, & regiam sedem tam audacter, quam impudenter occupans, coepit de regni negotiis, & nostrorum perditione crudeliter cogitare. Cuius nos in hoc facto impietatem attentius abhorrentes ita cogimur exclamare.

Crudelis igitur parricida, postquam iuene suffocato, regnum inuasit, & tenuit, iussit ad tempus rumorem huius sceleris retineri ac suppressi, ne statim ad castra perueniens nostrorum auribus insonaret; antequam ipse conceptæ fraudis experiretur molimina: misitque continuo nuncios sub nomine iunioris ALEXII, qui PRINCIPES exercitus nostri de castris ad ipsum euocarent; quasi promissam pecuniam, & insuper ampliora munera regis liberalitatis accepturos. Quod cum ad ipsos perlatum esset, ipsi tanquam homines CHRISTIANÆ simplicitatis, nullam ibi fraudem suspicantes, urbem ingredi festinabant; quippe qui nihil minus metuebant, quam nouum REGEM, quem ipsi creauerant, tam breui temporis articulo de medio esse sublatum. Erat autem ibi vir quidam prudentissimus, Dux videlicet VENETORVM, cæcus quidem in facie, sed perspicacissimus in mente, qui corporis cæcitatem, animi vigore, atque prudentia optimè compensabat. Hunc alii semper in rebus ambiguis omni diligentia consulabant, & ad nutū eius publica negotia solebant disponere. A quo cū alii more solito quæsisent, quid ei de hac re videretur; dissuasit, ne se amore pecuniarum, GRÆCORVM dolis exponerent, dicens, se id ipsum timere, &

eue-

euenerat, id est, ne iuuenis ALEXIVS, vel à suis peremptus esset,
 vel tanquam GRÆCVS genere, ab eis corruptus nostram cum il-
 lis machinaretur perniciem. Dum ergo Principes super hac re diu-
 tius consultassent, nuncii verò perurgerent instantius, erupit rumor
 ille de medio ciuitatis, & vniuersum exercitum graui terrore con-
 cussit. Videbant se in terra hostili deprehensos, in medio pessima
 nationis, & illum raptum è vita, quem ipsi eis in manu potenti, &
 magno terrore regem induxerant, qui vtique si viueret, posset & il-
 lorum vecordiam reprimere, & nostros plurimum consolari, eosque
 securos ac locupletes de regno suo ad explendum iter suæ peregrina-
 tionis emittere. Quibus omnibus se nunc frustratos penitus
 agnoscebant; adeò, vt nihil aliud, quam mortem à rege nouo, &
 ciuibus certissimè expectarent. Quid enim agere, aut quid spei
 habere poterant homines peregrini in tali articulo deprehensi, nec
 habentes vllum securitatis receptaculum, quo vel ad horam pos-
 sent ab incurfu hostium respirare? Indicerent eis bellum, vt eos
 publicè in suam persecutionem excitarent, quos sciebant & antea
 latenter sibi esse inimicos? At verò illorum infinitus erat numerus;
 & qui cottidianis cresceret supplementis, & in terra propria, vbi
 eis omnia copiosè suppeterent; nostri autem pauci, & inopes in
 medio inimicorum, à quibus nil aliud sperare poterant, nisi quan-
 tum, vt ita loquar, suis possent ab eis gladius excicare. Sed &
 illud eos plurimum contristabat, quod promissa pecunia magna
 ex parte frustrati erant, cuius spe ipsi iter suum distulerant, & vi-
 aticum peregrinationis suæ negotiis insumperant alienis. Elege-
 runt tamen illud, quod in tali casu optimum putabatur consili-
 um, dissimulato metu, sine quo vtique esse non poterant, mina-
 citer obsessis hostibus imminere, & in vindictam suffocati RE-
 GIS, quem ipsi instituerant, totam urbem cum ciuibus suis, &
 illo execrabili parricida, hanc quidem ad excidium, illos verò ad
 certam mortis pœnam repescere. Quibus ita insultando tantum
 eis terrorem incusserant, vt illi de incenibus suis egredi vix aude-
 rent. Maxime autem propter balistas nostrorum, quorum vsus
 quanto est rarior apud illos, tanto etiam terribilior, & periculo-
 sior æstimatur. Interim autem nostri confirmatis animis ad vtrum-
 que parati erant, vel ad recedendum, si se honesta & utilis præberet
 occasio; vel ad cedendos hostes, & subeundam ab eis, & cum

eis mortem, si illi de lateribus suis ad conflictum auderent erumpere. Nam de victoria tanta multitudinis obtinenda, siue de expugnatione urbis nulla eis spes poterat arridere; pro eo, quod illa munitissima erat; illorum autem numerus inestimabilis cotidie succrescebat. Sed quanto studio noster exercitus optabat configere, & mori cum hostibus, tanto illi fugiebant victoriam de nostris suis mortibus comparare; videntes iam illos in terra hostili laborare penuria, se autem in loco suo bonis omnibus abundare.

Confederat itaque exercitus noster ante regiam urbem, ut dictum est: sed absque vlla spe eiusdem expugnanda. quoniam ipsa non solum innumera ciuium multitudine, sed & bonis omnibus abundabat; & tanto munita studio, ut paucorum manu posset ab innumeris hostibus defendari. Est enim ciuitas triangula, ut aiunt, qui eam viderunt, habens in quolibet latere magnum milliari, vel amplius, ex ea parte qua terram attingit, valto aggere, & muro firmissimo tripliciter clausa. Turres habens per circuitum sui excelsas & fortes, aded sibi inuicem propinquas, ut puer septennis de vna turri ad alteram pomum valeat iaculari. Structuram autem edificiorum in corpore ciuitatis, in Ecclesiis videlicet, & turribus, & domibus magnatorum vix vllus vel describere potest, vel credere describenti; nisi qui ea oculata fide cognouerit. Ex ea vero parte, qua ipsam urbem alluit HELLESPONTIACVM mare, quod separat ASIAM ab EVROPA, quibusdam in locis aded angustum, ut de vna in alteram transmittat aspectum. Ex ea, inquam, parte quoniam agger esse non potuit, propter frequentiam portus, quem habet tutissimum ac celeberrimum, muri sunt sibi admiranda spissitudinis, & turres densae, eductae ad tantam celsitudinem, ut quiuus in culmen ipsarum aspectum dirigere perhorrescat. Hanc autem tantam firmitudinem & decorem, quem nunc habet, à prima origine non accepit. Nam olim quidem ita erat, sicut vnaquaeque aliarum, & GRÆCO nomine BISANTION vocabatur. Vnde & apud Modernos nummi aurei, qui in illa formari consueuerant, à nomine ipsius urbis BISANTII appellantur. Postea vero cuiusdam regiae visionis occasione, de qua aliqua dicturi sumus, in eum, quem nunc habet splendorem atque magnificentiam promotus est. Quae visio licet

Bb

V. S. J. J.
11
27

licet brevis humilisque appareat; magnæ tamen cuiusdam rei fuisse prænunciam, effectus subsequens declaravit. Sic enim visione quandoque magnarum rerum longè minores designantur: quemadmodum in somno IOSEPH per solem & lunam & stellas undecim, pater eius & mater & fratres undecim designati, ita nonnullam per infimos magnæ & celebres designati reperiuntur, velut in visione DANIELIS, ubi per quasdam bestias regna potentissima legimus præmonstrata. Quapropter falluntur hi, qui putant eorum, quæ se dormientes videre putant, nullam esse distantiam, sed omnia vana esse, & nullum prorsus in se continere mysterium.

16.

Visio igitur illa, quam dicimus, huic tantæ pulchritudini, & gloriæ civitatis illius occasionem præstitisse, huiusmodi fuisse & narratur & legitur. Post illam celebrem donationem, qua CONSTANTINVS GRÆCORVM ac ROMANORVM IMPERATOR, reddita sibi sanitate, & fugata lepra, celesti miraculo, CHRISTVM eiusdem salutis auctorem, & beatos Apostolos PETRYM & PAVLYM, qui nuncii fuerant, nec non & SYLVESTRYM PAPAM, qui minister extiterat, imò totam CHRISTI Ecclesiam regaliter honoravit. Idem CONSTANTINVS regiæ sedis dignitatem, qua ROMÆ habuerat, beato PETRO derelinquens, GRÆCIAM petiit, & hanc urbem, quæ tunc BISANTIUM dicebatur, præ ceteris omnibus habitandam elegit, ubi dum nocte quadam regali strato suffultus quiesceret ac dormiret, videbatur sibi videre * auiculam quandam longævam valdè & mortuam. quam & beatus SYLVESTER PAPA, qui & præsens adesse videbatur, dicebat ab eo certissime suscitandam. Quam cum idem Imperator facta oratione in iuenculam quandam pulcherrimam suscitasset, & illa casto amore suis aspectibus placuisset, induit eam regia chlamyde, & cum didema suum capiti eius impressisset, mater eius HELENA ei dicere videbatur: HANC FILI HABEBIS VXOREM VSQUE IN FINEM SECVLI IN HAC PVLCHRITVDINE PERMANSVRAM. Quam visionem cum ipse pluribus retulisset, & alius sic, alius verò sic eam interpretaretur; proposuit ipse REX à ieiunio non cessare, donec CHRISTVS ei per famulum suum SYLVESTRYM interpretationem suæ visionis exponeret. Cum ergò septem diebus ieiunasset, ipsa nocte septima apparuit ei beatus SYLVESTER in visione, dixitque ad eum * Auis illa, quam vidisti, civitas ista est, quæ

* port. auiculam.

* f. ann.

iam quasi neglectu & senio defuncta, per te in tantum decorem renouanda est, vt regina dicatur inter omnes GRÆCIÆ ciuitates. Quā visione REX non tam territus, quā gauisus, conuocatis de tota regione opificibus, tam lignorum, quā lapidum, iussit eam & ampliari loco, & muris, ac turribus emuniri, ecclesiis, cæterisque ædificiis exornari; donec in eam, quam nunc habet pulchritudinis elegantiam iuuenescens, ROMÆ similis, vt aiunt, redderetur. Vnde & ipsa vrbs quandoque altera ROMA dicta est, & terra ei adiacens, hodieque ROMANIA vocatur. At ne vlla superessent vestigia vetustatis, reprobato priore vocabulo, quod posset homines illius primæz humilitatis commonere, præcepit eam CONSTANTINOPOLIM appellari, à suo videlicet nomine, & Græco, polis, quod ciuitas interpretatur. Hanc itaque, vt dictum est, à parte terræ nostri obsederunt; magis vtique odio rerum suarum, quod aliud propter causas præmissas facere non audebant, quā vlla spe obtinendæ victoriæ, pro eo quod ipsa inexpugnabilis videbatur. cum ex ea parte nil aut parum proficerent, placuit eis ex altera parte qua mari clauditur non tam fortunam, quā diuinæ virtutis potentiam, sine qua illud nullatenus fieri posse nouerant, suo magno periculo experiri. Insilientes itaque naues suas velut quodam indignationis impetu ad terrorem inimicorum traiccto mari quod ibidem angustū est, in littore opposito ciuitati cuncti viriliter confederunt, ibiq; mutato proposito cæperunt de explendo negotio per mortem aut victoriam sollertius consultare.

Sed & de nauibus illis quarum infinita erat multitudo frequenter aliquæ leuiorē ac celeriores ad laceffendos eos & virtutem illorum experiendam subito erumpebant, quibus illi occurrentes iaculis & sagittis, & maxime terrore balistarum eos facile abigebant. Consulentes itaque Ducem illum Venetorum, cuius paulo antè meminimus, hominem videlicet cæcum vultu, sed animo perspicacissimum, id habuerunt consilii, vt per singulas naues suas, iuxta malum ipsius nauis alias quoque arbores longas valde & fortes hinc inde erigerent, & eas carinæ fortiter tam cum ipso malo quā sibi inuicem tam vasto collaquearent connexu, vt eis tanquam lignæ turres quasi propugnacula præsidium exhiberent. Quibus etiam arboribus aliquanto spatio ab inuicem distantibus, veluti quosdam scalarum gradus infigerent, per quos animosi iuuenes ad tuendas naues hostesq; desuper impugnandos quaterni, aut feni velociter ascendere

Bbb a . pos.

possent & descendere. Quod & factum est. & turres illa, siue scelas vocare malueris in tantum culmen altitudinis euectæ sunt, ut magna sui parte omnes turres & fabricas Græcorum excederent. Quas etiam cum totis nauibus tali vndique artificio munierunt, ut nec tela nec lapides, nec ignem, vel communem, nec illum qui GRÆCVS dicitur, formidarent. Extructis ergo nauibus & ad urbem applicitis placuit eis prius in expugnatione portus & nauium Dei gratiam experiri, ut ab illa parte securi eos qui in muro & turribus erant, tanto securius, quanto facilius expugnarent. Erat autem clausus ille portus tutissimo quodam recessu, & catenis ferreis immensæ magnitudinis, quæ ab vna fronte portus ad alteram extentæ naues omnes, velut sub vna clausula coercebant. Quæ postquam à nostris multo labore raptæ sunt, fugientes GRÆCI maxime terrore balistarum, quas ferre non poterant, captiuas naues suis victoribus reliquerunt, quas illi cupide rapientes in suos vsus velut quædam belli spolia gratissima transtulerunt. Deinde turrigeris nauibus, quantum fieri potuit, ad murum admotis, & fortibus quibusq; per scalas ascendentibus, præconis voce clamatum est, eum qui primus hostiles muros insiliret, centum marcas in præmium accepturum. Videres omnes vehementer appetere, quod vni tantum seruabatur, non tam auiore promissæ pecuniæ, quàm ob DEI honorem, & causæ communis utilitatem, & incepti laboris compendium. Qui postquam scalarum summum tenuerunt aliis ita festinanter sequentibus, ac si eos in medios hostes propellere, & ipsi eos subsequi properarēt. Tunc verò cerneret eos ex alto subiectis hostibus hæstis iaculis & sagittis odiosum imbrem impluere, illos autem turbatos ac trepidos, nec habentes quod contra facerent, grauissimè coartari. Balistarum tamen horror & impetus eò quod gens illa naturaliter timida est, eos maxime reddebat exanimes. Postquam verò vnus inuentus est, qui primus muros insiluit, & illum alii celerrimè sequerentur, continuo ciues exsangues & trepidi videntes iam hostem sibi immixtum, discurrentes per murum vbiunque possunt, sese in fugam præcipitant, quasi muris amissis tuti possent in sua ciuitate consistere, qui eorum præsidio nequieverant defensari. At nostri nihilominus per murum discurrendo turres illorum alacriter occupabant. Iamque ex eis quindecim vel plures inuaserant, tum hostes velut resumpto spiritu, tum pudore, tum periculo impulsæ ceperunt in quendam respirare audaciam, & seipsos mutuo exhortantes clamore simul, & omni genere telorum eos

veh-

vehementissime perurgebant. Quod videns quidam comes THEOTONICVS iussit urbem in quadam parte succendi, vt GRÆCI duplici laborantes incommodo, belli scilicet atq; incendii facilius vincerentur. Quod & factum est, & hoc illi consilio victi penitus in fugam conuersi sunt qui autem è nostris iam infra muros recepti erant, portas, quas multo lignorum lapidumue obiectu diligenter GRÆCI obstruxerant, remoto omni obice vel exciderunt vel fregerunt, & his, q; adhuc in nauibus erant optatū patefecerunt ingressū. Actū est hoc circa RAMOS PALMARVM; DEO, ni fallimur, ita disponēte, vt eodē die CHRISTVS exercitus hęc triumphaliter perfidā urbem irrūperet, qua CHRISTVS veniens ad triumphū PASSIONIS sanctam ingressus est ciuitatem.

Patentibus itaq; portis, hi qui in nauibus erant lætis clamoribus irruentes territis hostibus hastis, gladiis, balistis, & sagittis, & omni genere telorum mortem specietenus intentantes: sed nullam prorsus fūdendi sanguinis habentes voluntatē, tanquā oues dispersas eos per omnes plateas ciuitatis abigebant, in tanta multitudine fugientes, vt ipsa platearū spatiosa capacitas vix posset eis ad fugam sufficere: instabant enim eis tanto terrore & impetu, vt nec eos respirare, nec respicere paterentur. Cumq; tantam haberent cædis copiam, quantam ipsi nunquam sperare potuerant, paucissimi tamen ab eis perempti sunt: ipsi vltro parcētibus. quippe qui à viris religiosi secum in castris argentibus, MARTINO videlicet, & aliis; frequēter erant admoniti, quantum fieri posset, manus suas à sanguine continerēt. Ceciderunt tamē illa die ciuium quasi duo millia, non utiq; à nostris, sed à quibusdam FRANCIS, ITALIS, VENETIS, THEOTONICIS, & aliarum nationū hominibus, qui prius cum eis in ipsa vrbe habitare consueuerant. sed tempore obsidionis expulsi, pro eo, quod de prodicione suspecti ciuibus habebantur, nostris adhæserant. Cuius iniuriæ memores illi grauissimam in GRÆCOS plagam vltionis crudeliter exercebant. De nostris autem nullus omnino ibi cecidisse reperitur, excepto milite quodam nobili admodum & famoso, qui dum hostes vehementius perurgerēt incautus ipse pariter cum equo, cui insidebat, in foueam quandā repente absorptus sociis oibus in lætis rebus dolorē magnū inuexit. Victis igitur oibus, & pfugatis hostib; & de tota vrbe fatis miserabiliter exclusis, foribus etiā diligēter obstructis: tū demū victoribus ad p̄dam currere permissum est; nec antea, quasi sub periculo capitis erat prohibitum: ne quis ante plenam victoriam de præda cogitare præsumeret. Inuenerunt itaq; passim & copiosē tantam auri, argentiq; pecuniam.

ἄγιος βα-
σιλευς
μαξίμο,

19.

cuniam, tantum splendorem gemmarum, ac vestium, tantam pretiosarum mercium exuberantiam, tantam rerum victualium ubertatem, domos adeo egregias, & bonis omnibus plenas, ut omnes repente de aduenis & pauperibus ciues ditissimi redderentur. Vastauerat autem incendium interim supradictum ferè tertiam partem ciuitatis, cum omnibus tam ciuibus, quàm peregrinis grauiori occupatis periculo nulli erant, qui flammam licitè peruagantes possent extinguere. Mulieres verò, & paruuli, ac decrepiti senes, qui fugere non valentes, in vrbe remanserunt, in occursum nostrorum digito digito in formam crucis implicantes, satis flebiliter: αἰῶς Phasileos marchio: decantabant, quod latinè SANCIVS REX MARCHIO interpretatur, quod ideo faciebant, quia MARCHIONEM, quem maxime GRÆCI nouerant, & idcirco inter nostros maximum reputabant, captæ vrbis Regem haud dubiè cogitabant, quod tamen DEVS aliter disponebat.

Cum ergo victores vrbem victam, quam iure belli suam fecerant, alacriter spoliarent, cœpit MARTINVS ABBAS de sua etiam præda cogitare, ac ne aliis omnibus ditatis ipse vacuus remaneret, proposuit & ipse sacratas manus suas ad rapinam extendere. Sed quam prædam rerum secularium eisdem manibus atrectare putabat indignum, illud agere cœpit, ut de RELIQUIIS SANCTORVM, quarum ibi magnam sciebat esse copiam aliquam sibi corraderet portionem. Assumpto igitur secum altero è duobus Cappellanis, nescio quid grande præfagiens, quandam petit Ecclesiam, quæ in magna veneratione habebatur, ex eo quod mater famosissimi IMPERATORIS EMMANVELIS ibi nobilem habebat sepulturam, quod cum GRÆCIS magnum videretur, nostri pro nihilo reputabant. Ibi de tota circumposita regione plurimum pecuniæ repositum seruabatur, nec non & RELIQUIÆ pretiosæ, quæ de vicinis Ecclesiis atque cœnobiis ad eum locum spes vana securitatis fecerat congregari, quod etiam nostris ante vrbis expugnationem ab his, quos GRÆCI expulerant, fuerat intimatum. Quam Ecclesiam cum multi peregrinorum simul irrumperent, & alii circa res alias, aurum scilicet & argentum, & pretiosa quæque diripienda cupide occuparentur, MARTINVS indignum ducens sacrilegium, nisi in re sacra committere, locum petit secretiorem, vbi ea, quæ maxime affectabat, reperiri posse ipsa loci religio promittere videbatur. Inuenit ibi senem quendam venusta facie, barbaque proluxa, & cana, sacerdotè utique, sed nostris sacerdotibus ipso corporis habitu valde dissimilem. Vnde & ABBAS laicum ratus, placido quidem animo, sed voce qui-

re quidem terribili vehementer increpitans, Age, inquit, perfide senex, ostende mihi, quas potiores seruas reliquias, vel scias te statim mortis supplicio puniendum. Ille verò clamore potius, quam verbis territus, quippe qui clamorem audiens, verba intelligere non valebat, sciens nec illum GRÆCI sermonis habere commercium. ROMANA lingua, quam ex parte nouerat, cœpit hominem mitigare, & iram eius, quæ nulla erat, blandiciis emollire. Ad hæc verò ABBAS in pauca eiusdem linguæ verba vix potuit eluctari, vt eidem seni, quid ab eo exigeret, aperiret. Tunc ille vultum eius, habitumque considerans & illud tolerabilius iudicans, si homo religiosus sacras RELIQUIAS eum timore ac reuerentia contrectaret, quam si seculares viri fortassis cruentis manibus funestarent, ferratam ei archam aperuit, ostendens ei thesaurum desiderabilem, quem super omnes gazas GRÆCIA MARTINVS ABBAS sibi gratum & desiderabilem iudicabat. Quem videns Abbas, festinanter & cupidè vtrasque manus immerfit, & vti strenuè succinctus erat, sacro sacrilegio sinus suos implens, tam ipse, quam Cappellanus ea, quæ sibi potissima videbantur, sagaciter occultauit, & protinus egressus est. Quæ autem sint, & quantæ venerationis illa, quas sibi prædo sanctus mancipauit, reliquias, postea competentiùs exponetur. Cum ergò, vt ita loquar, ad naues ita suffarcinatus properaret, videntes eum, qui nouerant & amabant, denauius & ipsi properantes ad prædam, an ipse aliqua rapuisset, aut quibus rebus ipse ita onustus incederet, læto animo requirebant. Ille verò læto, vt semper erat vultu, & verbis iocundis, Bene nobiscum actum est, aiebat. Quibus, DEO GRATIAS, respondentibus, ipse festinanter transiens, & omnem retardationis causam molestè ferens, ad nauem reuersus est, ibique in cubiculo suo, quod habebat honestum & mundum, voriua illa suæ militiæ spolia collocauit, donec ille tumultuosus in vrbe strepitus resideret. Vbi etiam postea triduo mansit in multæ deuotionis obsequio, nullo sibi huius rei conscio, præter alterum è duobus Cappellanis, & illum senem, qui ei res eadem sacras tradiderat, qui etiam videns eum hominem beneuolum, ac liberalem, iam ei satis familiariter adhærebat. Cuius etiam ministerio interim ei apud quandam eiusdem vrbis Ecclesiam honestum satis & commodum suæ professioni conueniens præparauit hospitium. Postquam ergo præfatus ille strepitus conqueuit, Abbas cum illo, què diximus Cappellano, suum sibi secretum assumens, paratam sibi petiit mansionem, vbi tota æstate comoratus,

tus,

tus sacras illas RELIQUIAS indefinenter amplectens, occulto quidem, sed magno venerabatur affectu, & quod minus erat, in exteriori, obsequio deuotionis supplebat. Manebat autem in loco eo licentius, quod inducias pacis, quas pagani violauerant, renouatas acceptatum quia per illud mare non erat satis tuta nauigatio propter magnam & nouam rerum mutationem, tum etiam detentus amore faciorum simulq; expectans debitum statum ciuitatis & regni, ut his, qui eum miserant, rerum istarum formam posset exprimere. Atque ita, ut diximus, ciuitas illa regalis, & inter omnes Graecorum urbes famosissima, breuissimo temporis articulo capta & spoliata, & suis victoribus possessa est. Viderint igitur alii, qualiter hoc factum metiantur. ego in omnibus his, quae vel ab historiographis, vel etiam à Poëtis referuntur, nil me tale, vel tam magnificum legisse confiteor. Nec arbitror absq; certo diuini fauoris miraculo fieri potuisse, ut ciuitas illa munitissima, cui tota seruiebat GRÆCIA, in manus paucorum tam repente, tam publicè, tam facillè traderetur. Plus enim hic, ut ita dixerim, vno momento paucos fortes fecisse intellige, quam Poëtae veteres apud TROIAM infinita hominum millia profecisse decennio mentiantur, inueniantur.

20.

Capta igitur vrbe ac spoliata, & ipsis aedificiis nouis ciuibus distributis, ne absq; principe quasi Acephali remaneret, cepit de Rege statuendo inter eos quaestio agitari. Erant autem duo viri opinatissimi & celebres in exercitu nostro MARCHIO videlicet de MONTE FERRATO BONIFACIVS, & FLANDRENS, COMES BALDBINVS; è quibus alter utrius in Regem eligi, & res ipsa videbatur exigere, & vniuersus exercitus acclamabat. & quoniam vterq; multorum fauoribus atq; suffragiis nitentibus, nec facile alter alteri præferri poterat, pro eo, quod ambo satis idonei viri putabantur; visum est omnibus transferre curam & arbitrium electionis in duodecim viros, qui maxime inter omnes integritatis & potioris consilii apud alios habebantur. Qui postquam habita multa deliberatione FLANDRENSEM Comitē nominarunt. Collocatus est in sede regni, & capiti eius diadema impressum. Prouinciæ autem eiusdem regni in tres partes diuisæ sunt, vnã, quæ ad hunc Regis specialem pertineret; altera, quam VENETI possiderent, & tertiam, quæ data est MARCHIONI, THESSALONICA videlicet & fines eius amplissimi, qui etiam MARTINVM nostrum, sicut nobis certissime compertum est, secum deducere, & Episcopum creare proponerent. Ille sibi votorum suorum conscius cum gratiarum actione

recusavit, malens ad fratres suos, si DEVS annueret, priuatus & humiliter remeare. Deinde minores possessiones veluti castella, villa, & municipia, & quæ huiusmodi sunt alia, in illas personas, quæ ad hoc magis idoneæ putabantur, distributæ sunt. leges autem, & iura, & cetera institutiones, quæ ab antiquo tam in vrbē, quàm in prouincia laudabiles habebant, ita vt prius fuerant, consistere permittæ sunt quæ verò reprobabiles videbantur; vel correctæ in melius, vel penitus immutatæ. Quæ dum ita in ciuitate agerentur, interim pessifer ille MORTIFLO grauissimi sceleris perpetrator, & breuissimi temporis imperator, qui suorum sibi malorum conscius, etiam pœnam timens, ante expugnationem ex vrbe profugerat; nesciens quo se uerteret, aut quid spei in aliquo vel homine, vel loco habere posset, ad ALEXIVM seniorem se contulit: cui principes nostri in diuisione regni quamuis homini nefario, tamen quia regij sanguinis erat, quandam terræ portiunculam habendam concesserant. Qui videns hominem sceleratum ad se venientem, quamuis nec ipse multum diffimilis, vix à suis prohibitus, quo minus eum extremo mortis puniret supplicio; cæcari iussit, & expulit; recolens eum tantæ cladis auctorem, qui sibi fratrem cæcare, & nepotem carcerare, & vtrumque regno spoliare persuasisset, & postremo ad augmentum sceleris eundem nepotem suum manu propria suffocasset. Ille verò turpiter expulsus, & qui dudum mente cæcatus fuerat, nunc etiam corporeo lumine priuatus, pauper & miser, & omnibus odiosus cum in illis partibus fugibundus miseram ageret vitam, audientes nostri miserunt qui raperent eum & eorum aspectibus exhiberent. Quod cum factum esset, ceperunt tam nostri omnes, quam GRÆCI, qui in vrbe relicti erant, misero probris, & iurgiis, & contumeliis insultare; parricidam, & patriæ subuersorem, & dignum supplicio conclamare. Cumque de morte ipsius certa omnium esset sententia, de genere tamen mortis multa erat inter eos disceptatio. quibusdam consentibus, eum laqueo suffocari, quemadmodum ipse Dominum suum peremerat; aliis verò viuum flammis immitti; vel saxo alligato pelago immergi; vel terræ infodi, vel detracta pelle totius corporis viscera denudari; vel truncari omnibus membris; vel si quid aliud atrocioris pœnæ in hominem sceleratum posset ab aliquo reperiri. Quid putas misero tunc animi fuisse, cum audiret eos de morte sua tam subtiliter disputantes, nisi quod dolor luminis amissi mortis vicinæ formidinem leniebat. Placuit tandem principibus,

Ccc

bus,

bus, pro eo, quod licet homo nefarius, alti tamen sanguinis erat, cum super altissimam pyramidem duci, & in longo affert alligatum precipitem iaculando dari, ut qui de alto regni statu subita deiectione corruerat, nihilominus ob alto cadens mortem miserissimam quidem, sed non turpissimam, inueniret. Quod ubi factum est toto corpore conquassatus, cum dolore & miseria infelicem spiritum exhalauit.

21. De pyramide autem illa, de qua iste proiectus est, quam & plerique columnam vocant, aliquid notabile dici potest. Extructa est itaque de maximis lapidibus, ferro inuicem arctissime conseris, incipiens ex magna spissitudine, & paulatim se acuens in immensam celsitudinis quantitatem: in cuius tamen summitate solitarium quoddam lacubulum habuisse commemorant, qui terrenam sibi habitationem negans, ne dum cœlestem attingens, quasi inter virumque medius eremum sibi fecerat in medio celeberrimæ ciuitatis, cui etiam, ut dicunt, diuersæ rerum imagines ab antiquo insculptæ sunt, quæ *SIBYLLE* vaticinia & maxime superiorem regno variis dicuntur figuris exprimere. Inter quas erant & nauium figuræ & quasi scalæ de nauibus erectæ, per quas viri armati ascendentes ciuitatem nihilominus ibi sculptam expugnare & capere videbantur. Hanc sculpturam *GRÆCI* vsque ad hoc tempus contempserant, nil minus possibile reputantes, quam ut tantæ vrbi suæ tale quid vnquam posset accidere. At ubi viderunt scalas in nauibus nostris erectas, tunc demum illi sculpturæ iam recordati, seriosius ceperunt illud & quod diu spreuerant, formidare. Vnde & quidem lapidibus, malleis ferreis easdem imagines contundentes, plurimi eas deformauerunt; arbitantes se hoc modo infaustum in nostros auspiciam retorquerent. Quæ spes omnino vtique cassa fuit & præfatam sculpturam veri significatiuam extitisse, certus rei exitus declarauit. His omnibus ita gestis & bona parte medijs temporis elapsa, *MARTINVS* videns exercitum nostrum circa regni negotia studijs ingentibus occupari, ut infra multa tempora susceptæ peregrinationis iter exequi non valeret, ac per hoc principalem *CRVCIS* causam varijs calibus impediri, totam suæ mentis intentionem in hoc contulerat, ut rediens ad fratres suos claustrali se redderet disciplinæ, quam in tanto rerum strepitu, ita ut vellet non poterat obseruare. Cumque de loco in quo tunc erat vsque *VENETIAM* facili posset transuagare com-

re compendio, maluit cum his, quæ DEVS ei præstiterat, ad eos prius redire, qui miserant, vt eis de statu illius regni, & de omnibus, quæ præfens audierat, & viderat, nuncius fidelis existeret; & tunc demum valedicens omnibus, de TERRA SANCTA, quam ex voto petierat, sui quoq; reditus cursum feliciter inchoaret.

Ingressus itaque nauem circa NATIVITATEM SANCTE MARIÆ, quasi nolens & volens; securus & timidus, non sine metu & sollicitudine multa, prima die OCTOBRI apud ACHONEM applicuit, vbi fociis suis, maxime autem à THEOTONICIS, qui eum specialiter diligebant, latissime susceptus, de itatu regni & de his omnibus, quorum ipse præfens testis affuerat, vel ab aliis indubitanter audierat, fideliter enarrauit. Secretum autem illud suum nulli voluit aperire, nisi cuidam honestissimo & forti viro nomine BERNHERO, qui cum esset natione THEOTONICVS, patria vero ELSAZIENSIS, sanguine generosus, & quod perspicuum est, virtute conspicuus, grande sibi nomen in terra illa comparauerat: adeo vt ipsius REGIO consilia maxima ex parte in ipsum reclinarentur. Hic ABBATI nostro semper familiaris extiterat, qui cum & in terra sua nouerat atque dilexerat, & ibi maiori dilectione amplexus præ ceteris fere omnibus excolebat. Huic ergo, cum abbas illa DEI munera, quæ secum attulerat ostendisset, ille statim læto timore correptus expauit, & cepit gratiam illam, quam DEVS seruo suo contulerat, vehementius admirari. cum autem audiuisset eiusdem Abbatis de reditu suo propositum, obnixè studuit dehortari dicens, vix vnquam fieri posse, vt tantæ res tam præiosæ inter tot terræ, & maris pericula, inter tot piratas & latrones, inter tot calus, qui frequenter occurrere solent, indireptæ ad terram THEOTONICAM peruenirent. Monebat igitur eum, vt ipse rebus eisdem terram sanctam deuote & humiliter honoraret; in qua etiam cum eis permanens, vel episcopatum, vel quas vellet alias ecclesiasticas dignitates à rege, ceterisque principibus non recusaret accipere. Qui si secretiorem & monastica professioni magis congruam vellet agere vitam, hoc quoq; ipse apud regem, cui familiarissimus erat, prohibitu abbatis plenissime prouideret. Est enim in partibus illis territorium, quod tam moderno vsu, quam apud veteres scripturas mons CARMELI nominatur, locus omnibus bonis vberissimus, fertilis frugum, vestitus optime vinctis, oleis

& aliis arborum generibus eleganter confitus, pascuis etiam copiosus exuberans. In hoc monte tria sunt monachorum cœnobîa distincta ab inuicem & latas possessiones habentia, quibus cœnobîis vel singulis vterent, vel in vnum redactis ipse abbas & dominus præfideret. At verò si magis vellet sui ordinis fratribus, quam aliis præfese, cœnobîa illi ad alia loca satis commodè transferrentur. Abbas verò assumptis sui ordinis hominibus quibus vellet & quanto vellet numero, totum præfati montis territorium tam ipse quam eius successores perpetua ditione liberrime possiderent. Postremo si nihil horum acceptarent, acciperet à rege & principibus tantam auri argentique pecuniam, quantam ipse nunquam vel posteri præsumerent vel sperarēt, quam & commodius secum deferre & secretius occultare & eandem ecclesiam suam ditare facili posset impendio. Quæ omnia cum Abbas renueret dicens, se nil aliud velle, nisi sacras res illas, quas DEVS dederat, suo fideliter exhibere cœnobîo, præfatus WERNHERVS tanquam homo fidelissimus, secretum tenuit, & tam ipse, quam alij quam plures ad nauem quæ in portu parata erat, cum debito honore profecuti sunt. Quam postquam MARTINVS ingressus est, mutua charitate dicto vale & accepto, feria tertia ante PALMAS illi ad sua redierunt, MARTINVS expanis velis optatus navigationis cursum aggressus est.

Libet in super hoc loco huic nostræ narrationi quædam inferere, quæ sola, si alia deessent, satis possent astruere ea, quæ per abbatem MARTINVM vel iam gesta diximus, vel adhuc dicenda restant, de fonte diuinæ dispensationis ordinem accepisse. Tertia siquidem nocte antequam ipse MARTINVS sui reditus iter arriperet, quidam clericus admodum ei familiaris, EGIDIVS nomine, natus de BOEMIA, cuius nullum verbum nisi latine prolatum Abbas ipse intelligere poterat, qui & ipse cum abbate in eadem naui redire proponebat; non dormiens quidem, sed vigilans, certissimè, sicut ipse penitus affirmabat, vidit angelos duos in eodem loco, vbi sacra seruabantur reliquæ, vbi etiam tam ipse, quam Abbas cubiculum habere consueuerant, Abbas quidem ob sacrarum rerum diligentem custodiam; ille vero, quid ibidem seruaretur penitus ignorabat. Qui angeli circa scrinium in quo sacra DEI munerata claudebantur miræ deuotionis officium satagere videbantur, & DEVM qui hæc famulo suo contulisset, omni reuerentia collaudare. factò autem illo diuinæ

ven-

venerationis officio, alter alterum exhortantes, Deum obnixè precabantur, vt eundem virum cui tanta bona præstantur, cum omnibus, qui ei familiariter adhærebant, sua defensione protegeret. Quâ vtiq; certissimam visionem cum ipse factò mane abbati recitaret subito inter ipsa verba ex multa cordis compunctione erupit in lacrimas. Nescio, inquiens, quis sis, aut vnde veneris, aut quid in illo scrinio tuo custodias; sed illud verissime scio, quia manus domini tecum est. Quapropter in hac maris transfretatione à tuæ sanctitatis non recedam consortio, certissime credens me in illa nauî, qua tu vehendus es, periclitari non posse. Cuius sanctæ visionis abbas percussus miraculo præsertim propter hominis fidem, quem sanctum & veracem esse nouerat, retulit & ipse aliam visionem, quæ ipsi dormienti eadem ipsa nocte occurrerat. Videbatur ei siquidem ab eo loco, vbi tunc erat **ACHONE** videlicet vsq; ad villam proximam claustrum suo nomine **STOOLTSHEIM**, nil aliud esse quam mare. Sed adeo securû & tenue, vt in eo nec etiam nauicula quantumlibet parua naufragium formidaret. præterea ab eodem loco vsque ad villam præfatam facta videbantur esse deluper in directum velut quædam tectorum umbracula, vt nec ventus, nec pluuia, nec aliud maris ærisuè in eorum abbatum nauigaturo nocere nullatenus præualeret. Quam abbatis visionem nos modo sic possumus interpretari, quod ab illo loco vsque ad cenobium suum, licet inter multa terræ marisq; pericula, diuina tamen protectione in reditu suo tutum iter habiturus esset, & præfatæ villæ populus viri scilicet ac mulieres primi ex omnibus apud claustrum **PARTIENSE** sacris essent occursuri Reliquiis. sicut postmodum expressa rei veritas hoc ipsum approbavit.

Non est facile casus omnes atq; pericula memorare, quibus & abbas ipse, & hi qui cum ipso in eadem nauî ferebantur, frequentius expauerunt. Sed ipse tanto amplius, quanto plus amabat ea, quæ perdere metuebat. Sed in tanto timore, & periculo dominus ei maiorem fere, quam ipse sperare poterat, gratiam suæ protectionis exhibuit. Occurrebant ei frequenter naues piraticæ, quæ vel alijs spoliatis, vel alios spoliare cupientes, hac visa, subita mansuetudine mitescabant, & eam omni reuerentia pacifice salutantes, illas abire non tam sinebant, quam sinere cogebantur. Virtus enim Dei erat, quæ & illos poterat coercere & istam securo cursu ad portum perducere. Post multos itaq; labores & pericula non pauca nauis illa Martini vel potius Dei & sanctorum eius Reliquiarum ad portum **VENETIÆ** perdu-

cta est in Vigilia PENTECOSTES. vbi cum applicuisset abbas, & de sta-
 tu terræ satis dissimulanter inquireret, comperit non minus periculis,
 & timoris in terra superesse, quā in mari præcesserat. Totā quippe TRA-
 LIAM, per quā ei transitus erat, in feruore ac strepitu bellorum posi-
 tam asserabant. Ipse vero sciens, quia idē Deus potens est in terra & in
 mari, & qui cū in mari saluauerat, saluare poterat & in terra, paratis egis-
 sibi & suis farcinis deferēdis confidenter quidem, sed tamen non abiq;
 metu & sollicitudine versus alpes iter arripuit. Cum autē ei frequenter
 armatorum cohortes occurrerent, quæ ad nil aliud nisi ad prædandū,
 & rapiendū venerant, subito quodā terrore compulsi, oblatam sibi spā
 inæstimabilē tanquam ea indigni timide abhorrebant, & cedentes de
 via sumario qui scriinia cū sacris ferebat reliquiis per mediū sui transitū
 præstabant innocuum, transiens itaq; Martinus noster totam Italiā, &
 post illam alpes asperrimas, post quas etiā loca multa periculosa & ple-
 na latronibus, vrbem BASILEAM, de qua primum suæ peregrinationis
 iter inchoauerat, lætissime ingressus est, ac primo omnium beatæ VIL-
 GONIS Ecclesiā petens, cui & peregre proficiscens deuote se cōmenda-
 rat, quantas potuit ei gratiarū reultuactiones, quod eum apud dilectū
 filium suū eiusdē filij sui RELIQUIIS honorasset, & de tot ac tantis pe-
 riculis exceptū lætum, & incolumem reduxisset. Vnde & altari ipsius,
 q̄ in ipsa Ecclesia celeberrimū habet, palla nobili decorauit. Episcopo
 quoq; eiusdē vrbis domino LVRHOLDO & alijs quibusdā personis, &
 Ecclesiis eiusdē loci donaria sua satis liberaliter erogauit. Mansit autē
 in loco paucis diebus donec ei fratres sui, qui iā reditū eius acceperant,
 reuerenter, vt dignū erat, occurrerent, cū quibus ipse, assumptis quoq;
 aliis de ciuitate quam plurib⁹, q̄ eum gratissime prosequēbatur, ad PA-
 RISIENSE monasterium egregie quidē, sed cum multa deuotionis hu-
 militate se contulit, vbi etiam toto fratrum conuentu tam ei, quam sa-
 cris quas afferebat, RELIQUIIS ad portam humiliter recurrente, in na-
 tiuitate SANCTI IOANNIS BAPTISTÆ ante horam Tertiarum trium-
 phales illas sacræ prædæ manubias gaudentibus cunctis, & DEVM
 corde & voce laudantibus in ipsam inuexit Ecclesiam, & in ipso altari
 maiori, qua potuit reuerentia, collocauit.

24.

Benedictus itaq; sit DEVS qui facit mirabilia magna solus, qui p
 ineffabilem virtutem, & misericordiā suam PARISIENSEM respexit &
 & illustrauit Ecclesiā, per q̄dam suæ gratiæ donatiua, quæ per venera-
 bilē virū iam sepe dictū MARTINVM abbatem ad nos transmittere di-
 gnatus est. Quorum præsentia & præsens exultat Ecclesia & ipsorum
 patro-

patrociniis quolibet anima fidelis apud Deū adiuuatur, & proficit: de quibus vt legentibus certior fides astruatur, quædam ex ipsis propriis diuinus titulis exprimenda.

Primum igitur & generalissimum imo in omni veneratione dignissimum VESTIGIVM SANGVINIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, qui pro redemptione totius generis humani effusus est.

Secundum verolignvm est DOMINICÆ CRVCIS, in quo filius patri pro nobis immolatus veteris Adæ nouus Adam debitum exsoluit.

Tertium est nō modica portio S. IOANNIS PRÆCURSORIS DOMINI. Quartum vero brachium S. IACOBI Apostoli, cuius memoria per vniuersam venerabilis habetur Ecclesiam. Sunt etiam aliorum sanctorum reliquæ quorum nomina subsequuntur.

- CHRISTOPHORI Martyris.
- GEORGII Martyris.
- THEODORI Martyris.
- Item pes S. COSMÆ Martyris.
- Item de capite CYPRIANI Martyris.
- Item PANTHALEONIS Martyris.
- Item dēns S. LAVRENTII.
- Item DEMETRII Martyris.
- Item STEPHANI protomartyris.
- Item VINCENTII, ADIVTI, MAVRITH & faciorum eius.
- CRISANTH & DARIÆ Martyrum.
- Item GERVASII & PROTHASII Martyrum.
- PRIMI Martyris.
- SERGI & BACCHI Martyrum.
- PROTI Martyris.
- IOANNIS & PAVLI Martyrum.

Item de loco NATIVITATIS domini, de loco CALVARIÆ, de SEPULCHRO domini, de LAPIDE REVOLVTO, de loco dominicæ ASCENSIONIS, de lapide vbi IOANNES stetit, quando dominum baptizauit, de loco vbi Christus LAZARVM suscitauit, de lapide sup quē Christus in Templum est presentatus, de lapide super quo Iacob obdormiuit, de lapide vbi Christus ieiunauit, de lapide vbi Christus orauit, de tabula super qua Christus cœnauit, de loco vbi captus est, de loco vbi mater domini migravit, de sepulchro eius, de sepulchro S. Petri Apostoli, de reliquiis sanctorum Apostolorum Andrea & Philippi, de loco vbi dominus Moyfi legem dedit, de sanctis Pa-

triar-

J. S. J.
17
27

triarchis Abraam, Isaac & Iacob. Item S. NICOLAI Episcopi. Item ADELEHI Episcopi. Item AGRICII Episcopi. Itē IOANNIS CHRYSOSTOMI. Item IOANNIS ELEEMOSYNARII. de LACTE MATRIS DOMINI. Item MARGARETÆ, PERPETVÆ, AGATHÆ, AGNETIS, LVCIÆ, COECILIÆ, ADELGYNDIS ET EVFEMIÆ, virginum. Factum & actum est hoc anno Domini Millesimo ducentesimo quinto dominicæ Incarnationis. Regnante PHILIPPO Romano. presidente sacrosanctæ Rom: Ecclesiæ INNOCENTIO summo Pontifice. sub Episcopis LYTHALDO BASILIENSI & HEINRICO ARGENTINENSI.

15. Nemo igitur fidelis aliud vel credere debet vel etiam opinari, quam hoc actum esse diuinæ gratiæ respectu, vt tot & tanta tã celebres Reliquiæ per hominem seipsum in tãta humilitate conseruantem inter tot rerum impedimenta ad nostram peruenirent ecclesiam. In quarum aduentu tota, vt credimus, THEOTONIA atque apud seipsum lætior, & apud homines famosior, & apud Deū cœpit haberi felicitior, nullus ergo, vt alia multa ita hoc fortuito æstimet euenisse. Quod vtiq; nil aliud esset, nisi magnis DEI operibus debitum splendorem calumniando detrahere. si enim illius maxime ciuitatis, de qua hæc omnia translata sunt, tam incredibilem, & subitam expugnationem & ordinem causarum præcedentium & transitum Martini Abbatis terra & mari periculosum & tamen protegente DEO de locis omnibus inoffensum diligenter attendimus; hæc omnia profecto non esse casus fortuitos, sed muneris diuini luce clari apparet. Quapropter oportet omnes, qui vel ista vident, vel audiunt, opus DEI, quo auctore facta sunt, in omnibus venerari, & credere, & ab ipso suæ fidei ac deuotionis præmium præstolari.

16. De his autem ipsis cœlestis gratiæ donis, quæ dominus iam sapissime dominico famulo suo abbati MARTINO & per ipsum Ecclesiæ PARISIENSI contulerat, eadem Ecclesia ad honorem DEI, & totius Romani imperij Domino PHILIPPO Serenissimo Imperatori laudabilem valde contulit portionem. Tabulam videlicet quandam inæstimabilis fere pretij, auro, & gemmis pretiosis operosissime exornatam, & plurima sanctarum reliquiarum genera longe auro, & gemmis pretiosiora ibi diligenter recondita continentem. Quam tabulã Græcorū Imperator in solemnibus festis velut quoddam certum pignus impetij gestare consueuerat de collo suo catena aurea dependentem. Cui tabulæ præter aurum vel alias gemmas quam-

quamplurimas, inaspis vnus miræ magnitudinis infixus est, passionem domini sibi inculptam & B. VIRGINIS & IOANNIS EVANGELISTÆ imagines hinc inde assistentes. Est autem sapphirus ibi quidam admiranda quâtitatis, cui diuina maicestas, quæ nulla profus imagine proprie repræsentari valet, artificiose tamen ita fieri potuit inculpta est. Quod vtiq; munus inuictissimus Rex PHILIPPVS iuuenis quidem ætate, sed in DEI timore, & omnium morum honestate maturus tanta mentis beniuolentia, & gratiarum actione suscepit, vt ipsam etiam PARISIENSEM Ecclesiam cum omnibus possessionibus suis in suam susciperet protectionem, & alias omnes reliquias, quas Martinus attulerat ei perpetuo possidendas imperiali priuilegio confirmaret.

Scripsit autem hanc Historiam Magister Guntherus, quidam tunc monachus, prius autem scholasticus, vir admodum liberaliter eruditus. Quis etiam rebus ipsis, quas scribebat vehementer applaudens id habebat intentionis ac fidei, vt ab illo, qui hæc per fideles suos operari dignatus fuerat, etiam ipse diuinorum reator operum vitam acciperet sempiternam.

FINIS.




Ddd

De

H. C. H. S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS



D. H.